

justum ex parte subditi, verum est, quia se- clusa lege, illud manet quid indifferens, at ex parte Prælati illud præcipere, vel prohibere sub peccato, vel gravi pœna, est quid malum & injustum, cum lex non debeat obligare, nisi ex prudentiali ratione, & hac cessante debet lex cessare; sicut Prælati præcipit sub obedientia, ne Religiosi transeant per talem plateam, ad evitandum scandalum alicujus personæ, cessante scandalo, Religiosum transire per illum locum, non est malum. At tunc quod Prælati præcipiat, ne transeat, est quid malum, & injustum, cum sit sine ratione, ac debito fundamento, ac proinde tunc lex peccat.

74. Arguitur secundò, Quia licet ratio legis deficiat in hoc casu particulari, tamen voluntas legislatoris est indistinctè obligare omnes ergo ita obligat, Probatur antecedens cum consequentia multis, Primò, quia lex respicit bonum commune, ergo ut desinat obligare in particulari, non nocet? Secundò, probatur, quia licet in hoc particulari casu cesset ratio legis adhuc manet alia generalior, & superior ratio, quæ obligat, quæ est uniformitas partis ad totum, quod unum membrum conformetur cum aliis ergo adhuc in illo particulari casu obligat lex, Tertio, quia leges non respiciunt singularia, sed id quod communiter, ac frequentius accidit, ergo secundum communem modum operandi lex obligat in illo casu.

75. Respondetur negando antecedens loquendo de voluntate prudentiali, Ad primam probationem dico, quod leges ita respiciunt bonum commune, ut etiam obligent singulos in particulari, & singulis habeant vim, & fundamentum, propter quod lex ponitur, ergo quando in aliquo particulari casu, cessabit ratio legis, cessabit legis obligatio. Ad secundam confirmationem dico negando, quod datur alia ratio superior, quia uniformitas membrorum solum requiritur ubi datur eadem ratio, non verò diversa, cum autem in hoc casu, in quo cessat ratio legis, detur diversa ratio operandi in hac persona, ac in aliis in quibus urget ratio motiva legis, inde hic non requiritur uniformitas cum aliis, sicut lex generalis jejunii, vel non comedendi carnes, obligat omnes, & tamen non obligat eos, qui habent in particulari impedimenta propter diversam rationem, quæ datur in aliis; sic etiam dicendum est, de omni alia lege, quando ejus ratio cessat in hoc, & illo casu, Ad tertiam confirmationem fateamur, quod leges respiciunt, id quod frequentius contingere solet, tamen ex prudenti ratione legis, exceptuantur multa, ut patebit ex dicendis.

76. Arguitur tertio: Sequuntur ex nostra hac sententia multa absurda, Primò, quod fornicatio simplex possit esse licita in aliquo casu, si cessaret ratio prohibitionis, ut nullum esset periculum malæ educationis proles, propter quam vitandum, vagus concubitus est prohibitus Secundò, in materia obedientiæ, multa possunt imaginari, ob quam non servatur, Tertio, lex presumptionis periculi obligat, quamvis ratio legis cesset in facto particulari Jus Canonicum disponit, quod professio ante-

decimum sextum annum, sic nulla, quia ante talem ætatem præsumitur in adolescente defectus iudicii, ac si ante talem ætatem detur iudicium perfectissimum professio adhuc erit nulla, quia lex solet disponere juxta illud, quod ordinariè contingere solet. Deinde Concilium Tridentinum irritat matrimonia clandestina ad evitandos dolos, & tamen si in aliquo peculiari casu detur matrimonium clandestinum sine dolo, adhuc erit nullum.

77. Respondetur nullum absurdum sequi, Ad primum dicimus, quod vagus concubitus non solum est prohibitus ob malam educationem proles, sed ob multas alias rationes; sic Divus Gregorius, lib. Moralium, cap. 31. quod late explicat D. Thomas 2.2. quest. 153. art. de ea ait, quod affert cecitatem, & precipitationem mentis, odium Dei, & immoderatum amorem proximi; vide Reginaldum lib. 2. num. 15, Deinde illa lex est presumptionis periculi, quæ in facto particulari non desinit obligare. Ad secundum, quod rationes excusantes observationem præcepti sunt fundata in recta observatione legis.

78. Ad tertiam confirmationem de lege presumptionis periculi dic, quod quamvis ratio legis cesset in facto particulari, lex tamen non cessat, quia talis lex non fundatur in facto, sed in periculo, quod datur in tali modo operandi, quia quamvis de facto videatur usus rationis perfectus, ante decimum sextum annum & in matrimonio clandestino, quod nullus detur dolus, quia tamen successu temporis multæ insurgunt quæstiones, & variæ dubitationes, ideoque in presumptionem fundatur, non fat est, quod lex cesset in particulari, sed necesse est ut ratio legis cesset in communi; nos autem loquimur in facto, & non in periculo.

79. Ex his inferes quod si ludus sit prohibitus, ne homines amittant multam pecuniam, licitum tamen erit ludere moderata pecunia. Ita Sæ verb. Ludus, num. 1. Infero etiam, quod si Prælati præcipiat, ne aliquis Religiosus accedat ad aliquam januam, ad evitandum scandalum, vel ne loquatur cum aliquibus personis, quod ille Religiosus, qui accedendo non dat scandalum nec aliquam loquutionem facit potest accedere, sic & in similibus; Henricus ita Henriquez citatus.

QUESTIO V.

Utrum in Religione aliquid, quod non sit contentum in regula possit esse materia legis?

SUMMARIUM.

- 80 Status quæstionis proponitur.
- 81 Prima sententia affirmat posse Prælatus, etiam ea, quæ non continentur in regula.
- 82 Secunda, quod Generalis in cap. Generali.
- 83 Tertia affirmat quod possit, etiam & illum cogere, qui professus in Religione relaxata.
- 84 Quarta quod nec Prælatus, nec cap. Generali.
- 85 Ponitur vera sententia.

86 Probatur

- 86 Probatur conclusio a Floriano D. Bernardi.
- 87 Probatur ratione.
- 88 Ponitur & solvitur primum argumentum ex auctoritate Christi, ac D. Basilii, & num. 89.
- 90 Nec generalis cum capitulo generali potest obligare ad novas reformationes, & num. 91.
- 92 Pontifex non potest obligare religiosum ad austeriorem vitam non contentam in regula, & num. 93.
- 94 Ponitur limitatio Suaris, & rejicitur, & num. 95.
- 96 Ponitur & solvitur argumentum de Monialibus, ac claustralibus, & n. 97.

80. Quæstio hæc est valde utilis Religiosis ad multa inserviens, & quærimus, an Prælatus Religionis possit aliquid præcipere suo subdito Religioso, quo nullo modo, nec formaliter, nec virtualiter contineatur in regula Religionis, nam ea quæ continentur in regula, sive formaliter sive virtualiter, vel ad ejus observationem conducunt, non est dubium, quod Prælatus ea possit præcipere.

81. In hac re variæ sunt sententiæ juxta varios status hujus quæstionis. Prima sententiæ ait, quod Prælatus Religionis possit præcipere suo subdito aliquid, quod nullo modo sit contentum in regula, ac proinde possit præcipere illud, quod est præter regulam, vel supra illam. Pro hac sententiæ citantur tres Canonistæ Archidiaconus cap. qui iustus q. 3. Abbas cap. super num. 6. Præpositus cap. ad nostram. Huic sententiæ favere videtur D. Bonaventura in expositione Regule fratrum Minor. cap. 1. ad vers. vivendo in obedientia.

82. Secunda sententiæ, quod Prælatus cum capitulo generali seu majori parte Religionis, possit ferre novas leges, quæ obligent Religiosos ad austeriorem modum vivendi, supra regulam. Pro hac sententiæ stant multi Canonistæ proxime citati. Insuper Glossa, Innocentius, Cardinalis, Abbas, Alexander, Probos, Rosella.

83. Tertia sententiæ, affirmat, quod Prælatus Religionis non possit ad aliquid obligare suum subditum, quod non sit contentum in regula, imò si aliquis professus est in Religione, cujus Regula erat relaxata, & per pravos mores corrupta, jam stante præscriptione, ac consuetudine, quod si Prælatus illius velit facere reformationem, & reducere ad rigorem antiquum regulæ, quod non possunt obligare Religiosum professum jam in tempore relaxationis. Ita Hostiensis, sum. tit. de voto, §. verum, & per quem n. 17. & cap. super eo n. 2. de Regular. & ibi Joannes Andreas n. 4. ad finem, Abulens. c. 30. num. 9. 99. Ravner. quem citat, ac sequitur D. Anton. part. 3. tit. 16 cap. 3. in fine.

84. Quarta sententiæ docet, quod nec Prælatus, nec Capitulum Generale potest obligare suum subditum ad aliquid præter regulam, tamen quod si Religiosus professus est tempore relaxationis regulæ, jam ex antiqua consuetudine, quod postea Prælatus possunt ipsum obligare ad observandum rigorem regulæ. Dixi stante antiqua consuetudine, quia si illa relaxatio est modo introducta, ut non evadat

in præscriptionem, absque dubio est, quod Prælatus possit obligare taliter professum ad rigorem regulæ. Hæc sententiæ est vera, eamque explicio per sequentes conclusiones, ubi multos Auctores adducam.

85. Dico primò, quod Prælatus Religionis solum potest præcipere ea quæ sunt secundum regulam Religionis, & ad ejus observationem conducunt, ea verò, quæ non continentur in regula, sed sunt supra, vel præter illam, nullo modo potest præcipere, nec subditi ei tenentur obedire: Hæc est valde communis, eamque tenet D. Thom. multis in locis quodlib. 10. art. 10. in corpore, 2. 2. quest. 104. art. 1. ad 3. & 2. dist. 44. quest. 2. art. 3. & Sanchez tom. 2. Sauced. in Decalog lib. 6. cap. 2. num. 15. Ubi ferè quadraginta Auctores gravissimos pro ea citat; & præter eos eam docent Suar lib. 4. de leg. c. 17. Suarez. n. 3. & valde late eam confirmat tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 8. num. 5. & 6. eamque dicit communem inter Theologos, & Canonistas, Lor-Lorca, ea disp. 14. de legib. dubio appenso Salas disp. 8. sect. 3. Bonacin. tom. 1. disput. 1. de leg. quest. 1. punct. 3. num. 12. M. Lezana tom. 1. Regul. c. 4. num. 9. & 13. Qui omnes clare docent, quod Prælatus non potest præcipere austeriorem modum vivendi, majoremque observantiam, & rigorem non contentum in regula; tamen in uno casu grandi, & extraordinario pro uno, vel altero actu, ut quod in processione Religiosi incedant discalceatis pedibus, ad magis implorandam divinam misericordiam, ut aliquando vidi; nam casus extraordinarius non venit sub communi lege.

86. Probatur; primò auctoritate D. Bernardi lib. de præcepto & dispensatione, cap. 7. ubi ait: Is, qui profectus, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatam secundum regulam; & infra. Proinde si professus seductum illam regulam Abbas meus mihi aliud forte imponere tentaverit, quod non sit secundum regulam, quænam mihi quæso, in hac re necessitas immineret obsequendi? Solum quippe id à me posse exigere a bitror, quod promisi Ita S. Pater, quod late prosequitur etiam cap. 8.

87. Probatur hæc unica ratione; quia Religiosus tenetur obedire suo Prælato, ratione voti obedientiæ; atqui votum obligat solum juxta formam, ac intentionem voventis, ergo cum voventis non promiserit obedientiam absolventem, sed limitatam juxta suam regulam, materia voti amplius non est extendenda. Confirmatur, quia Prælatus Religionis est custos & executor regulæ, Huic nostræ conclusioni aliqui volunt apponere duas limitationes. Prima, si Prælatus præcipiat austerum modum vivendi, in pœnam delicti commissi. Secunda si illa major austeritas est necessaria ad observantiam regulæ, sed neutra dicenda est limitatio, ut bene ex Navarro, Corduba, Sylvestro notat Suar. citato loco de Relig. Nam id quod dicit prima limitatio non procedit, quia illud non est dare austeriorem vivendi modum, sed punire delictum, sicut & Prælatus potest damnare ad tritremes; Nec etiam illud, quod dicit secunda limitatio, quia illud est quid virtualiter contentum in regula, nam qui præcipit finem, virtualiter præcipit media, ergo si illa major observantia est necessa-

ria

ria ad observationem regula, virtualiter est praecepta in ipsa regula.

88.

Argues contra conclusionem. Hodie in lege gratia, obedientia religiosa est perfecta obedientia Evangelica tradita a Christo D. Sed perfecta obedientia Evangelica non habet terminum magnitudinis juxta illud Christi D. Matth. 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, ergo obedientia religiosa extenditur ad omnia. Confirmatur ex D. Basilio Regula 6, ubi ait: Obedientiam nihil aliud esse, nisi sui abnegationem.

Matth. 16.

D. Basil.

89.

R. Concedendo majorem, explicando minorem, quod quando obedientia Evangelica est absoluta, & universalis, verum est, quod tunc non habet terminum; at vero si non sit absoluta, sed secundum aliquem modum vivendi, tunc ultra talem modum vivendi non extenditur, & ideo ait D. Thomas 2.2. quae. 104. art. 3. ad 3. Quod obedientia est triplex, una indifferens, quae tendit ad illicita, alia perfecta, quae ad perfectionem eorum, quae sunt licita, & honesta se extendit. Unde Sancta Theresia edidit votum faciendi illud, quod intelligeret esse perfectius. Tertia differentia est eorum, quae ad votum obedientiae pertinent, quae se Religiosi obligant ad agendum ea, quae ad observationem regulae spectant; ad confirmationem eodem modo est respondendum.

D. Thom.

90.

Dico secundum. Quod generalis cum capitulo generali, vel cum majori parte suae Religionis non potest facere novas reformationes, quae obligent Religiosos jam professos, & non consentientes in tali reformatione ad archiorem, & asperiores modum vitae non contentum in regula suae professionis. Hanc conclusionem tenent Vasquez 1.2. disp. 154. n. 21. Sylvest. verb. Religi. 6. quae. 6. Suarez citato loco num. 10. M. Lezana tom. Reguli. cap. 4. num. 13. Sanchez allegatus num. 18, ubi multos citat, & addidit num. 19. ex Angelo, Sylvestro, Corduba, Tapia, nostram conclusionem esse veram, esto totum Capitulum Generale consentiat, nomine discrepante, adhuc non obligari alios Religiosos non consentientes, obligantur tamen consentientes in tali reformatione, & omnes alii, qui postea professionem emisissent, quia illi profitentur juxta regulam, & constitutiones, ut sunt de facto.

Vasquez. Sylvest. Suar. Lezana. Sanchez. Angelus. Sylvest. Corduba. Tapia.

91.

Probatum ratione, primo conclusio hic applicata, probatur secundum; quia talis austeritas, ac vivendi modus, non solum respicit ipsos Religiosos in particulari, ut singulos; ergo ut omnes obliget, ab omnibus debet approbari, juxta regulam 29. de regulis juris in 6. Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.

Regul. juris.

92.

Dico tertium, quod Romanus Pontifex non potest obligare Religiosum professum ad archiorem vitae modum supra regulam suae professionis. Ita Sylvest. proxime citatus in sine. Lessius lib. 2. de justitia, cap. 4. dub. 9. num. 74. §. Hinc sequitur, Corduba in expositione regulae S. Francisci, cap. 15. quae. 2. dist. 2.

93.

Probatum nostra conclusio, quia Summus Pontifex non potest obligare ad omnia opera Consilii, & ad austerum modum vivendi, verbi gratia, ad semper jejunandum, ad mandandas carnes perpetuo cilicio, ut omnes fatentur, ergo Summus Pontifex non potest ad

haec obligare Religiosum hoc non habentem ex regula suae professionis. Antecedens est certum: consequentia probatur, quia peculiaris potestas super omnes fideles, quam Summus Pontifex habet in Religiosos, oritur ex voto obedientiae, quam promittimus Romano Pontifici, tanquam primo capiti, ac supremo Generali totius Ordinis, atque haec obedientia non est omnimoda sed limitata juxta regulam, ergo ultra illam non potest aliquid praecipere.

Suarus citatus tom. de Religi. cap. 8. num. 11. ait, quod Pontifex non potest obligare Religiosum ad austerum modum vivendi supra regulam ratione voti obedientiae, ut ratio conclusionis convincit, ait tamen ratione supremae potestatis poterit obligare, quia licet non possit obligare omnes fideles, ut ait ipse, ad omnia opera Consilii, tamen ratione status Religiosi poterit obligare, si hoc sit expediens ad statum Religiosum, licet Ordinarius loquendo hoc non sit conveniens.

Haec doctrina Suarii, ut ab eo traditur nobis non placet, quia si ratione status Summus Pontifex potest praecipere asperiores modum vivendi supra regulam, ergo poterit praecipere omnem perfectionem possibilem statui Religioso, quod nemo dicat. Secundum, status Religiosus est status perfectus habens varios gradus perfectionis, ergo sufficit, quod homo sit aliquo gradu illius perfectionis, ut illi qui habet regulam approbatam a Sede Apostolica, unde sol. bat dicere Clemens VIII. Religiosum bene observantem suam regulam canonizari posse. Tertio, potestas Pontificis est in adificationem, atque si Pontifex praecipiat notabilem rigorem supra regulam, ut omnes sint Carthusiani, multi spectata fragilitate naturae suae non poterant sustinere talem rigorem, nisi deficiant ab ipso statu Religioso, sic dabitur occasio ruinae, & erit in destructionem, ergo Pontifex non potest praecipere ipsum notabilem rigorem super regulam poterit tamen praecipere aliquid moderatum ad observantiam regulae, & perfectionem status religionis, si occasio temporum illud postulerit, in hoc tanquam Praelatus Religionis, ac supremum caput Ecclesiae, ut notat Lessius citatus, potest obligare Religiosum ad acceptandum Episcopatum, quod non potest Praelatus Religionis.

Argues contra conclusionem, quia Bonifacius VIII. & Concilium Tridentinum indixerunt clausuram omnibus Monialibus, quae vitam multo austeriorem reddit, & tamen illam professae non fuerant; nam ante Concilium exhibant a Monasterio. Secundum, Pius V. anno 1567. suo Decreto jussit omnes Franciscanos Conventuales, & Claustrales in Hispania viventes ejici a suis Conventibus, & transire ad aliquem Ordinem ex Mendicantibus, qui multo asperiores vitam continent, quam erat eorum pristina. Confirmatur, quia Pontifex habet plenam auctoritatem, in omnes fideles, ergo omnia licita, & honesta potest eis praecipere.

Responderet ad argumentum, & ad id, in quo fundatur de Monialibus, quod eis imposta fuit clausura perpetua tanquam quid convenientis (spectata malitia saeculi hujus & ut quid

quid moraliter necessarium ad observantiam voti castitatis, & aliunde egressus Monialium a Monasterio non est necessarius, ut est in Religiosis, qui exeunt ad opera pia, quae inserviunt, ac conducunt ad salutem animarum, imò addit Sanchez n. 43. quod Pontifex poterit ponere aliquam clausuram Monachis, ut non facile egrediantur.

98.

Ad secundum exemplum dic, quod quamvis aliqui dubitarunt de illo Decreto Pontificis, fuit tamen iustissimum, quia illi claustrales in Hispania degentes, vivebant cum magno scandalo & multa relaxatione, merito ergo Pontifex jussit eos expelli a suis Conventibus & ad Mendicantes transire, quia illud iudicatum fuit valde convenientissimum ad observanda tria vota, quae in professione emisserant. Ad confirmationem dic, quod Pontifex habet plenam auctoritatem circa omnes fideles quoad observantiam legis Dei, non vero ad praecipienda opera Consilii, ut est austerus modus vivendi.

99.

QUESTIO VI.

De Religioso vivente in Religione relaxata.

SUMMARIUM.

- 100 Religiosus professus in Religione, cujus regula est relaxata legitima praescriptio non potest cogi ad novam reformationem, haec relaxatio non potest dari in votis.
- 101 Relaxatio dupliciter potest introduci.
- 102 Si introducta est auctoritate Apostolica non est relaxatio, sed moderatio.
- 103 At vero si talis moderatio est nociva, observationi regula poterit revocari.
- 104 Quando relaxatio in regula usu longo introducta est Praelati poterunt reformare, & num. 105.
- 106 Praecipitur objectio, de proficiente in regula relaxata, quia non poterit ad aliud obligari.

100.

Superat etiam in hac materia explicandum quod quado Religiosus professus est in Religione, cujus regula est relaxata, & corrupta, stante jam legitima consuetudine, ac praescriptione, certum est, quod talis Religiosus non tenetur ad rigorem novam, sicut qui jurat statum alicujus Collegii, quod jam usu est relaxatum non tenetur ad illius rigorem, ut notat Suarez citatus num. 18. Ita etiam & Religiosus in Religione relaxata. Haec autem relaxatio quoad vota, nunquam potest esse legitimo usu introducta, ut advertit Sanchez citatus num. 26, quia vota obligant ex jure divino, jus autem divinum nunquam admittit praescriptionem, ut est communis sententia.

Suar.

Sanchez.

101.

Si vero relaxatio sit usu introducta quoad alia regula, ut quoad jejunium, cilicium, clausuram, tunc est quaestio, an Praelati illius Religionis possint cogere Religiosos professos

Sylvestra Opuscula.

fos in illa relaxatione ad rigorem regula primitivae; & haec quod dupliciter potest procedere. Primo quando talis relaxatio est introducta auctoritate Apostolica, & tunc non est relaxatio, sed moderatio antiqui rigoris. Secundum, quando talis relaxatio, jam antiquo usu introducta est.

Dico quartum, quando moderatio regula auctoritate Apostolica introducta, Religiosi qui professi sunt regulam taliter moderatam non poterunt compelli a Praelatis illius Religionis, ad servandum antiquam rigorem regulae. Ita Suarius cit. lib. 4. de leg. c. 8. n. 17. Salas disp. 8. de leg. sect. 12. n. 58. & 62. Bannez 2. q. 104. art. 10. dub. 6. Bonac. disp. 1. de legibus, q. 1. punct. 3. n. 18. Probatum quia ratione voti nemo potest obligari ad acceptandum id, quod nec directe, nec indirecte vovit, sed ille non vovit rigorem antiquam regulae, nec vivere, aut obdure in illum, ergo non potest obligari ad acceptandam talem reformationem. Confirmatur, quia facta moderazione Pontificis, jam regula, quoad illum rigorem est derogata, ergo jam non potest obligari ad vivendum secundum legem derogatam per legitimum Superiorem.

102. Suar. Salas. Bannez. Bonacina.

103.

103.

Advertendum tamen est, quod si postea experientia videatur, quod talis moderatio sit repugnans fini illius Religionis, quo poterit Pontifex & Praelati illius Religionis removere talem mitigationem, & obligare Religiosos in illa ad vivendum secundum rigorem regulae antiquae, quia Praelati Religionis poterunt obligare suum subditum ad vivendum secundum finem suae regulae, ergo & amputare ea, quae tali fini repugnant.

104.

104.

Dico quintum, quod quando relaxatio in regula longo usu introducta est, si Praelati velint facere reformationem, & regulam ad antiquum rigorem, revocare, Religiosus, qui professus est in illa relaxatione, tenetur stare tali reformationi. Ita multi Auctores, quos citat, ac sequitur Sanchez lib. 6. Decal. c. 2. n. 3. Vasq. 1.2. disp. 154. n. 25. 26. & 27. Reginald. lib. 18 n. 396. §. Consequens est Azor. tom. 1. Institut. lib. 15. n. 11. q. 17. & alii.

Sanchez. Vasquez. Reginald. Azor.

105.

Probatum primo, quia ita factum est in multis Religionibus, quae reformatae sunt auctoritate Superiorum. Secundum, quia vovens aliquam regulam debet esse paratus, quantum est ex se ad bonum regulae, & Religionis; atque ad bonum regulae, ac Religionis maxime conducit, quod pravae consuetudines illi adversantes amputentur, ergo si hoc fiat, taliter professus tenetur stare tali reformationi. Tertio qui se subicit alicui regulae, etiam se subicit suae per illam intentio, sed ad consequendum finem intentum per regulam, maxime conducit, ut regula in integrum observetur, ergo si hoc fiat, tenetur Religiosus stare, ergo qui profitetur aliquam regulam tempore relaxationis, virtualiter se subicit reformationi ipsius regulae si fiat, etiam si sit homo simplex, indoctus, ac idiota, quia talis ignorantia, ut notat Suarez num. 19. non excusat involuntarium, & qui profitetur regulam, virtualiter vult bonum illius.

Suar.

106.

Ex hoc cessat objectio, quae hic fieri poterat, quia hic professus est regulam, ut sic relaxatam, ergo non habuit intentionem se

K k ultra